

De Fr. novitio Iosepho Hildebrand,

Fr. Iosephus, in saeculo Ioannes *Hildebrand*, natus est 20.XII.1815 in Neuwidt Rhenaniae, archidioecesis Coloniensis (2). Parentibus Antonio H. et Christina Becher mature orbatus, assumptus est quasi filius a bono cive Coloniensi. Artem fabri lignarii optime didicit, uti demonstrant adhuc in refectorio Wittemiensi murorum tabulatio et pulpitus lectoris. In saeculo inter aequales eminebat suis illibatis moribus et sua insigni pietate. Piorum sodaliciorum exercitiis interesse in deliciis habebat aliosque ad idem exhortabatur. Viam consiliorum evangelicorum in Instituto Alfonsiano appetens, 16.VII.1844 patriam, ubi nondum erat domus Congregationis nisi in longinqua Altötting, generose reliquit et collegium Hollandiae Wittem petiit. Festo S. Ioseph. 19.III.1844 sacra ueste indutus est, sed iam 26.VI.1845, vota nondum professus, vitam terrenam finivit. In novitiatu omnes, intra claustra et extra, in eo admirabantur obedientiae simplicitatem, fraternalm caritatem, studium orationis et laboris, praesertim autem singularem oculorum modestiam. Hieme 1844-45 iussus est assistere Fr. novitio Iacobo (de quo plura infra), gravi morbo affecto. Fr. Iacobus quidem convaluit, sed Fr. Iosephus, qui in pervigilio novi anni sortitus erat virtutem sese praeparandi ad bonam mortem, mense Iunio 1945 correptus est febri putrida, qua eius valetudo fortis brevi ad nihilum deducta est. Vesperi diei 25 Iunii omnibus morientium sacramentis munitur, tum sensibus destituitur, ita ut vota iuxta nostra privilegia emittere nequiret. Post duram agoniam nocte 26 Iunii, fer. VI, decessit, primus communitatis Wittemiensis alumnus, qui hanc vitam terrestrem cum aeternitate communaverit. Catalogus collegii W. ei tributi hoc breve elogium: « Novitius pius, laboriosus, et dulcis moribus ».

Has noticias e chronicis Wittemiensibus diligentissime transscripsit Chronista domus R. P. L. Dankelman, adiungens aliquid notatu dignum de sepultura collegii. Etenim, quo tempore Fr. Iosephus mortem occubuit, nostri nondum habebant ius propriae sepulturae ab auctoritate civili recognitum, ita ut provisorio tantum modo potuerit sepeliri cadaver Fratris in subterraneo loco pristini conventus Capuccini. Libellus quidem supplex missus est ad regem, sed negotium etiamtum erat pendens, cum 15.III.1846 ibidem mortuus est Fr. cl. Laurentius Gossens (natus 20.XI.1822 Aquisgrani, Trudonopoli prof. 15.X.1843). Is in vigilia sui obitus regabatur, ut post mortem hanc rem cordi habere pergeret, et ipse, ut erat Sancto Ioseph devotissimus, promisit se rem huic glorioso Patriachae commendaturum esse. Revera ipso festo huius Sancti rex nomen suum apposuit benigno rescripto, quod festo Annuntiationis Wittemium allatum est.